



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Annales Ecclesiastici**

Jncipiens ab Anno Domini CCCC.XL. perueniens vsque ad D.XVIII. inchoatur  
ab Imperio Justini senioris: complectitur Annos LXXVIII.

**Baronio, Cesare**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

Iesv Christi Annus 440. Leonis Pap. Annus 1. Theodosii 33. Valentin. 16.  
Impp.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14573**



# ANNALES ECCLESIASTICI.



TRAF-  
TIO AV-  
TORIS  
CVM RV-  
MIMIS  
EMPLIO-  
RATIO-  
NE.

Mar. 4

Pro. 31

Sep. 8

Psal. 86

Ps. 44

**H**ADEM animi alacritate, atque fiducia, qua quinque superiores Annalium tomos inchoauimus & absoluiimus, diuino fulsi presidio aggredimur Sextum: vt plane iam satis nobis esse videatur futurae navigationis vela pandisse, qui eius vehimur nauis, cui obediunt venti & mare. Illius namque presidio nitimur Mulieris fortis, quae facta tanquam nauis infirmitatis de longe portans panem suum, navigatione reciproca nostras ad Deum preces & vota perferens, ad nos reuertitur gratia plena. Per eam enim diuina: Sapientia attingens a fine usque ad finem fortiter, disponensq; omnia suaviter, res etiam nostras solita benignitate feliciter moderatur: Vt plane eius ope confisis, de prospero tutoque ad portum appulsu spem haud dubiam concipere liceat, frustra ex aduerso latrantibus canibus sub facie comptae virginis Scyllae, & tergemini Geryonis: quos nauigantibus molestos fuisse, fabulosa antiquitas innoxit; quales temporibus nostris Ecclesiae aduersarios experimur. Soluimus igitur, te propitiâ, hilates, Virgo MARIA; atque nauis, ipsis videlicet Angelicis choris (quorum scitur latantium omnium habitatio est in te) occinentibus ex more celeuma, & nos laeti tecumimus: Intende, prospere procede, & rigua.

niani Aug. quinto & Anatolij consignatum, perductumque nostra scriptione usque ad obitum Sixti Romani Pontificis, iam prosequamur. Defuncto itaque his Consulibus Sixto Romano Pontifice Kalen. April. (inquit S. Prosperus) quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atq; patientia aduentum diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aetium & Albinum (erant hi Romani Duces exercitus) amicitia reintegrande causa, Gallia derinebant; quasi idem longus esset aduentus, vt electi meritorium, & eligentium iudicium probaretur. Igitur Leo Diaconus legatione publica uocatus, & gaudio patriae praesentatum, quadragesimo tertio Romana Ecclesia Episcopus ordinatur. haec Prosperus; itemq; Marcellinus sub huius anni Consulibus ordinationem Leonis recenset in Chronico, & alij omnes. Porro eum fuisse natione Tuscam, patre Quintiano, habet Anastasius in libro de Romanis Pontificibus. De sua vero absentia & electione idem ipse meminit. Leo in sermone habito anniuersarij die suae ipsius ordinationis his verbis: Quia in humilitate nostra meritor fuit nostri Dominus, & benedixit nobis: quia fecit mihi mirabilia magna solus, vt praesentem me cerneret vestra sanctitati affectio, quem decerat necessitas longa peregrinatione absentem, &c. De studio itidem cleri atq; populi erga se tum exhibito ista subnequit: Ago igitur Deo nostro gratias, & semper alturus sum pro omnibus, qua tribuit mihi vestri quoque fauori arbitrium debita gratiarum adione concelebro, euidenter intelligens, quantum mihi possint reuerentia, amoris, & fidei studia vestra dilectionis impendere, animarum uestrarum salutem pastoralis sollicitudine cupienti, qui tibi sanctum de me, nullis admodum praecedentibus meritis, iudicium protulisti. Obsecro igitur per misericordiam Domini, iuuato voto, quem desiderii experisti: vt & Spiritu gratia maneat in me, & iudicia uestra non stultent, &c.

Prosper. in Chron.

LEO MAGNVS ROM. PONTIFEX CHR. ATVR. quadragesimus, & ceterimus.

Leo ser.

## IESV CHRISTI,

Annus 440.

LEONIS PAP. THEODOSII III. IMP. VALENTIN. 16. IMP.

**L** COEPTVM superiori tomo annum Domini quadringentesimum quadragesimum Consulatu Valenti-

Annal. Eccl. Tom. 6.

Annus. II. Quod vero ad diem creationis ipsius spectat: cum S. Prosper amplius quadraginta diebus sedem vacasse testetur, corrigendum est quod apud Anastasium de Romanis Pontificibus legitur, viginthiduoobis diebus fuisse Roma-

II. DIONYSII XXXIII.

A nam



PLAR PERFEC TI SACER DOTIS 3. EO.

Leo ser. 2. de sua assumpt.

Haba. 3.

Ioan. 7.

III. STATVS REXVM PRÆSEN TIS TEM PORIS.

IV. CLADES AFRICA NE EC CLESIA d. Vltor de perf. cat. VV. d. h. l.

DE IPI SCOPIS, QVI RE MANSE RYNT N AFRICA.

nam Ecclesiam sine Pontifice, vt loco, vigintiduo bus, re-  
 stitutum sit, quadraginta duobus, qua quidem ratione  
 dicendum est, S. Leonis creationem fieri contigisse sexto  
 Iulio Maias. Electus igitur, quae decebant, duo simul iun-  
 xi in pastori functione ad perfectum optimi sacerdotis  
 exemplar efformandum extrema, nimirum summam  
 in sua consideratione personae animi demissionem, & e-  
 minentem sublimitatem; in eius, cuius se esse successorem  
 intelligebat, animi celsitudinem. Vnde haec aliquando ipse  
 ad populum pro concione, dum respiceret ad exiguitatis  
 suae tenuitatem, & adepti muneris amplitudinem,  
 ait: Ego etiam illud Propheticum debeo proclamare: Domine au-  
 diti auditum tuum, & timui: considerasti opera tua, & ex-  
 pavi. Quid enim tam insolitum, tam pauendum, quam labor fragilis, sub-  
 limitas humilis, dignitas non merenti: Rursum vero consideras  
 cuius locum teneret, haec inferius: Rationabili obsequio cele-  
 bratur hodierna festiuitas, vt in persona humilitatis mea ille intel-  
 ligatur, ille honoretur, in quo & omnium pastorum sollicitudo eum  
 commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam di-  
 gnitas in insigni herede non desit. Vnde venerabilium quoque  
 fratrum & sacerdotum meorum desiderata tui & honoranda  
 praesentia hinc sacratio est & deuotio, spiritatem huius officij, in  
 quo adesse dignati sunt, ei principaliter deserunt, quem non solum  
 huius sedu Praesulem, sed omnium Episcoporum nouerunt esse Pri-  
 mitem. haec ipse & alia id genus plura, quibus plane signifi-  
 ficauit, vere à Deo se dignum electum esse Pontificem.  
 Euenit Domini illa sententia est: Qui querit gloriam eius,  
 qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Incidit autem sedes eius in tempora plane miserima,  
 nimirum, cum Orientalis Ecclesia assiduis quateretur ha-  
 reterorum procellis, Nestorianorum praesertim vbique  
 multumque: Occidentis vero Imperium à barbaris  
 vastaretur, & cum capta Carthagine, ad prope vniuersam  
 sibi Wandali Afciam vendicarent: cum & in Gallijs a-  
 pud Arelatum cum Gothis à Littorio Romani exercitus  
 Duce male pugnatum esset, & ciuiles discordiae vigerent  
 inter reliquos exercitus Duces. Praeter haec etiam Ecclesiae  
 status turbulentissimus habebatur: sicut enim Orientalis  
 Ecclesia, Nestorianorum causa, magnopere confictationibus  
 erat exagitata; ita & Occidentalis Manichaeorum  
 ingitur fecundiori cespere pullulanti, & Pelagianorum  
 rursus in surgentium erat assiduis praesertim petribata.  
 Accidit enim, vt praeter haereticos illos; qui vel Salam, vel  
 clanculo in Italia, & in ipsa Vrbe potissimum agerent, ab  
 externis quoque; provincijs à barbaris capris, praesertim ve-  
 ro ex Africa pulsa Manichaeorum agmina se in Vrbem in-  
 tulerint, magno ciuium detrimento. Sed eo lethalius erat  
 malum, quo occultius eiusmodi eorumdem venenum ser-  
 pebat: quibus detegendis, & in apertum latebris adden-  
 dendis, atque damnandis, haud leuiter insudandum fuit ip-  
 si S. Leoni Summo Pontifici, cuius aduersus eos res gestas  
 inferius ordine temporum enarrabimus.

Nunc vero ad miserabile Carthaginis bustum, atque in  
 omnibus deploratum Africanæ Ecclesiae statum oculos  
 conuertamus. Captâ igitur anno superiori (vt dictum est)  
 de cimo Kal. Nouemb. Carthagine, hoc anno Genfericus  
 Rex Wandalarum partitus est captas Africanas provin-  
 cias: de qua diuisione haec Victor: disponens quoque, singulas  
 quasque provincias sibi Bizacensem, Azurianam, atque Getuliam,  
 & partem Numidia reseruant, exercitus vero Zeugitanam &  
 Proconsularem finitimo hereditate diuisit, Valentiniano adhuc  
 Imperatore reliquis, licet exterminatis, provincias descendente.  
 & inferius, post recentis expulsiões sanctorum Episco-  
 porum, & exilia clericorum, de quibus superius actum est,  
 ista subdit: Et dum ista geruntur: (cum videlicet, vt dictum  
 est anno superiori, iussu essent omnes ab Ecclesijs Episco-  
 pi ac nobiles expelli) qui supererant magni sacerdotes atque, insi-  
 gnes viri memoratarum provinciarum, quas diuiserat VVanda-  
 li, cogitauerunt supplicandi gratiam Regem adire. Qui dum (vt mo-  
 riu est) ad Masilitanum litus exisset, quod Liguia vulgi consuetu-  
 dine vocatur, amissa iam ecclesijs & rebus, occurrere nisi sunt,  
 supplicantes, vt ad consolandum populum Dei, saltem habitandi  
 facultas, VVandaliam dominantibus, concederetur. Quibus ille  
 per internum rabidi respondisse ore probatur: Decretum ego de

nomine & de genere vestro nullum dimittere; & vos auditis talia  
 postulare: Quos etiam vicino mari voluit eadem horâ demergi, nisi  
 à suis diu, ne hoc faceret, rogaretur. Recedentes illi tristitia & ma-  
 roris confecti, cuperunt qualiter poterant, & vbi poterant, ablati  
 Ecclesiam, diuina mysteria celebrare. haec de paucis Episcopis,  
 qui ad breue temporis spatium miserunt, iam reliquis  
 trans mare nauigare coactis. Eiectis autem ab ecclesijs, qui  
 illis Orthodoxi praerant Episcopi, nobilibusque Car-  
 thaginensibus trans mare spoliatis diuitijs nauigare com-  
 pulsus in eo omne tyranni consilium vertitur, vt quod in-  
 uaserat regnum potens, armis sibi stabiliret. Sciens enim  
 Carthaginensium ingenia haud debilia, sed acerrima, ne-  
 quaquam libenter fore passuros iugum barbaricum, qui à  
 Romanis sibi illud imponi tantopere detestati sunt: illud  
 ipsum consilium inijt, vt nobiles quosque exutos bonis  
 omnibus in Italiam nauigare compelleret, ne quid ali-  
 quando noui possent moliri Carthagine, cum ipse absens  
 classe tentaret sibi subijcere Mediterranei maris oppo-  
 sitas Africæ oras.

Quibus peractis, hoc quidem anno ipsum Genfericum  
 comparatâ classe Siciliam tentasse, sed re infectâ coactum  
 fuisse redire Carthagine, S. Prosper sub anni huius Co-  
 sulibus ita narat: Genfericus Siciliam grauius affligens, ac-  
 cepto nuncio de Sebastiano & Hispania ad Africam transiit.  
 Veliter Carthagine redijt, rati periculosum sibi ac suis fore, si  
 vir bellandus peritus recipienda Carthagini incubisset. Verum ille  
 amicis se magis, quam hostem videri volens, diuersa omnia apud  
 barbaros, quam praesumptis, reperit; eaque causa illi maxima  
 & calamitatis & infelicis mortis fuit. haec Prosper. Porro à  
 Cassiodoro Seniore defensam fuisse Siciliam & Brutium  
 ora maxima, Iunior Cassiodorus in literis Theodo-  
 rici Regis testatur his verbis: Anus enim Cassiodorus, illustra-  
 tus honore ciuitatis, qui eius generi non poterat abnegari, à VVanda-  
 lorum incurfione Siciliam, Brutium, armorum defensione liberavit;  
 vt merito primatum in illis prouincijs haberet, quae à tam seuo &  
 repentino hoste defendit. Debit ergo virtutibus eius Respublica,  
 quod illas prouincias tam vicinis Genferico non inuastis, quem post-  
 tra truncatum Roma sustinuit. haec ipse: sed de exitu Seba-  
 stiani, cuius causa reuocatum è Sicilia Genfericum Prosper  
 dicit, Victor est profectus historiam. Erat autem Sebastia-  
 nus inuidiâ Praefectorum Romani exercitus quasi perdū-  
 ellis existimatus Imperij, eamque; ob causam factus exortis,  
 in Africam ad Genfericum se contulit. Sed quae postea ei-  
 dem ipsi contigerint, Victorem audiamus, qui ait:

Fuit Comes quidam Sebastianus, famosi illius gener Comitū  
 Bonifacij, acris consilio, & strenuus in bello; cuius Genfericus sicut  
 consilia necessaria habebat, ita & praesentiam formidabat. Cupiens  
 autem illum extinguere, occasione mortis de religione quaesuit.  
 Cogitavit Rex, vt praesentibus Episcopis atque domesticis suis, Seba-  
 stianum taliter conueniret: Sebastiane (inquit) scio, quia fideliter  
 nobis adhaesistis, cuius veritatem sacramenti labores tui, vi-  
 gilantijs, demonstrant: sed vt nobis connexa semper iugis, ma-  
 neat amicitia, hoc placuit, praesentibus sacerdotibus nostris, vt cum  
 efficitur cultor religionis, quam & nos & vester populus vena-  
 tur. Cui Sebastianus, rem inueniens miram malis, necessarium,  
 pro tempore acute respondit: Quaso, domine Rex, vt nunc vnus pa-  
 nis mundissimus ac simillaceus afferatur. Quem, cum ignorasset Ge-  
 nfericus Sebastiani victoriam, illud inijt afferri. Apprehendens itaque,  
 Sebastianum mundissimum panem, ita affatus est: Hic enim panis,  
 vt ad tantum decorem splendoris venisset, & mensa regia necessa-  
 rius haberetur, discussa spuria sursum ex massa simillacis com-  
 pressus, per aquam transit & iugum; & idcirco aspectu clarum &  
 suauis habetur. Ita & ego mola Catholicae matris commelitur, &  
 cribro examinationis, vt similia munda purgatus, rigatus sum aquis  
 baptisatus, & igne sancti Spiritus coctus. Et hic panis de furno,  
 ita & ego per officia sacramentorum diuinorum artifice Deo, de  
 fonte mundus ascendi. Sed fiat, si velis, vt isproporatio. Iste panis  
 confingatur in frusta, madidetur aquâ, & iterum confingatur,  
 mittatur in furnum: si melior exierit, faciam quod hortaris. Quam  
 propositionem vbi Genfericus cum omnibus, qui aderant, audisset,  
 ita ligatus est, vt se solvere omnino non possit. Quem alterius ge-  
 neris argumento postea bellicosum virum occidit. haec Victor.  
 At quodnam illud fuerit, quod ait, aliud necis eius ex-  
 cogitatum à Genferico argumentum, plane ignoratur, sed

illud



illud tale quidem fuisse oportuit, quod indignum reddiderit ipsum coronam martyrii: cum enim omnes, quos rececit Victor necatos Christianos in Africa à Genetico, tabulae receperint Ecclesiastica celebrandos, ipsum tamen excludere Sebastianum, sed si verè calumnia illa fuit, & prætextus falsus inventus, eali tabula, liber vitæ ipsum indelebili notâ scriptum continet.

At res Africanæ Ecclesiæ sæpius pro ratione temporis tenuit, ad eicctos ex Africano solo à Genetico nobiles Carthaginenses & Episcopos orationem convertemus. De ijs, qui ad litus Campanum Neapolim diuino fultu perclitio Episcopi appulere, anno superiori, eodem Victore auctore, enarratum est. De nobilibus autem Carthaginensibus nihil ipse præterit, nisi quod omnes spoliati bonis transmare nauigare compulsi sunt: nos verò que de his reperimus, hic innotuimus. Inter alios plurimos, qui nisi feruere vellent, solum vertere coacti sunt, exhibent nobis S. Fulgentij Acta illius aui memoriam verbis istis: *Auus demq; eius nomine Gordianus, dum Rex Genetico (tarelicuendum pro Humerico, in suo loco dicemus) memoratam Carthaginem inuadens, Senatores plurimos, innumerosq; amissit omnibus bonis, ad Italiam nauigare compellere: inter ceteros etiam episcopus innotuimus peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens saltem, facultatis perditis, non perdere libertatem. hæc ibi. Sed quod singulorum prosequi veltigia est impossibile, de nonnullis, qui in Syriam diuersis casibus delati sunt, ex Theodoretis epistolis, quas Græcè scripsit Vtica na bibliotheca custodit, & virum primis discretus noster Fedeticus Metius Larinitate donauit, contextemus historiam, vt ex his, que in vna orbis Romani Proincia acciderunt, reliqua alijs in locis facta existimare possimus. Cæterum non omnes recessisse, certū est. Cæm enim in felix illa condicio oblata à Genetico Carthaginensibus nobilioribus civibus & Episcopis esset, vt omnibus exuti bonis nudè recederent, vel si exire de litore Africano tarent, serui perpetui remaneret: complures eam potius partem elegisse remanere barbaris seruos, quam absque commercio incertum per mare ferri, plurimosq; clarissimos virorum & Episcoporum, qui remanserant, seruos VVandalorum se nouisse, Victor ipse testatur.*

Que autem ex Africanis, qui in Syriam appulerunt, didicit inter alios Theodoretus, nempe miserandam Carthaginis vrbs cladem, & Carthaginensium deploratissimo casu idem ipse de his ad Apellionem eiusmodi litteras dedit in commendatione Cælestiani viri clarissimi Carthaginensis:

*Que Carthaginenses passi sunt, AEschyli & Sophocles egent tragœdiâ, & fortassis eorum vinceret lingua malorum magnitudo. Que enim antiquitas vix à Romanis capta fuit, vel potius que cum maxima Roma sepe numero de primatu contendit, & supremum periculum atq; discrimen illi parauit, nunc barbarorum facta est ludibrium. Et qui celeberrimum eius exorabant Concilium & Senatam, per vniuersum oberrant, vinendi modum querentes: è manibus hystion venenolorum: è illos, qui eos vident, ad lachrymas conitant: è humanarum rerum caducitatem & fragilitatem docent. Vix quidem plerisq; etiam alios inde profectos, & timor: nescio enim, secundum diuinam Scripturam, quid sequens paritura sit dies. Venerat autem in primis admirabilissimus, & magnificentissimus Cælestianus: sicut enim æquo animo hæc calamitatem, & felicitatis sui mutationem, occasione facit philosophis: è omnium rerum rectorem laudat, & id consere parat, quod ille vel per præcipit, vel aseruet, non prohibet, inestabilis enim proidentia est ratio. Hinc vna cum vxore & filijs circumcirca euntem, tuâ magnificentia & humanitate, insit Abrabe, suscipe & compleretur: Tæ enim magnanimitati confidens, hostium dux ipse salus sum, & tuam benignam manum illi offendo & iudico. hæc Theodoretus in commendatione clarissimi viri Cælestiani, de quo etiam extant alie eiusdem Theodori litteræ ad Aërium Sophistam, alie rursus ad Dominum Episcopum Antiochenum, quibus significat, hunc ipsum sanè quidem & nomen ipsum id referre videtur, cum à Cælesti famosissimo Carthaginensium idolo ipse illi ad clarissimus Cælestianus à parentibus æquè Ethnicis fuerit nominatus. Ita planè qui post tot diuinitus accessas de veritate Christianæ fidei Carthagine faces adhuc perseuerantes in errore fidei rebelles Iustinus, diuina misericordia digni facti sunt, vt in caminum paupertatis iniecti, relicta impietatis leuonia, ad purum excocti & conflati euaderent Christiani: quomodo enim frontes æneæ, ferreæq; ceruices, nisi vehementioris fornacis ardore atteri potuissent, & inclinari? Sed reddamus hic ipsam epistolam ad Dominum, quæ sic se habet:*

*Maximè admirando & magnificentissimo Cælestiano patria quidem celeberrima Carthago, gens verò, quod in illo fuit, clarissimum. Sed nunc ex illa ciclium, alienas circuit regiones, & maris intusur Deo dilectorum, vel dilegentium Deum, & piorum verorum. Habet præterea omnia necessaria, quod curam illi augeat & molestiam, vxorem inquam, & filios & domesticos, quorum causa pluribus res sumptibus Ego verò in primis viri mentem & consuetudinem admittor, quod ventris aduersis agitur, ita gubernatore Deum laudat, & gramen tempestatem negligit. Pietatem enim ex ea calamitate lucratus est, & infelicitas felicissimum hinc fructum attulit. Quando enim sua fruebatur felicitate, huiusmodi non emittebat voce: Vix seclabatur: illa verò priuatus & exutus, impietatem etiam abiicit, & nunc diuinitus fidei dicitur est: quapropter istam miseriam conuertit. Tæ igitur est sanctitatis, vt alienam patriam illi suam patriam efficias, & horrens illos, qui diuitijs abundant, consolari eor, qui aliquando eiusdem fuisse fortuna, & cui miseria nubes & tenebras dissipare & discere. Par enim est eos, qui eandem nati sunt humanam naturam, & similes delinquant & errant, & paucas nihilominus vitant, illos, qui infortunijs laborant, aliquid asserere solatum, & suæ erga ipsos humanitate & misericordie Deum sibi misericordiam reddere. hæc tunc Theodoretus ad Dominum Antiochenum Episcopum, quem ante trimum in locum Ioannis diximus subrogatum.*

Iam vel hoc vno exemplo vides reddi certus, quod ex Saluiano dictum est tomo superiori, nempe ad dissipationem idololatriam, & idololatriæ cultum vigentem Carthagine abolendum, iusto iudicio à Deo permissum eam ciuitatem cum tribus dedit Wandalis: vt quæ tot sanctissimi Episcopi spatio feruè quadringentorum annorum præfate minime valuissent, vt demonum venerationem à Carthagine tollerent, vna feruè die Wandalicæ manus abstulerit, & qui oblitatio animi hæc tunc impij perseuerassent, à Deo percussis discedent pietatem, quam & abdicata penitus idololatriâ, profiterentur: vt planè non ira, sed misericordie Dei loco ista fuerit habenda Carthaginis ciuitatis & eius ciuium clades, secundum illud Propheticum Ihu: *Miseramur impijs, & non desinet iustitiam in terra sanctorum iniqua gessit, & non vobis gloriam Domini. Domine, exaltet manus tua, & non videant, in quibus delecebantur, idola: videant & potorem suum, & confundantur & ante populi, vt sic ad veram religionem excolendam conuertantur. Bene igitur dispensio rerum terrenarum, & peccatorum iactura, que est omni lucro præstantior, consultum fuit ipsorum saluti. Vt non adeo mirum sit, colli & dissipari à Deo barbaricè manu terrena, si cum illis peccatorum vincula dirumpantur, quibus vti miseri derinebantur homines, ne cælestia penetrarent.*

Sed quod ad Cælestianum, de quo agimus, pertinet, eundem sanè suis alijs pluribus commendatarijs litteris ad diuersos viros illustres datis inuicem idem Theodoretus: extant enim ipse, & quidem efficacissime alie ad Theodoretum quendam Episcopum, alie ad Statelimum Comitem & Præfectum, alie rursus ad Patricium Comitem, itidem alie ad Irenæum Tyri Episcopum, in super alie ad Pompeianum Eusebii Antistitem, omnes certe Theodoro dignæ: quibus & impertientiarum id genus commendatariarum litterarum vsus antiquis Episcoporum ostenditur, eas nimirum nequaquam vna formâ, isdemq; verbis concipi solitas, sed diuersis, & quidem officiosissime scribi consuetas, prout cuiusq; personæ status & causa, repugne exigebat & locus: quibus, si op' exigere, ex forma à sanctis Patribus Nicæni Concilij præscripta, ne dolus quomodolibet posset obrepere, reliqua addebantur, vt suo loco superius dictū est de litteris, q' formatæ dicebantur, ad Cælestios dari solitis. Sed prolequamur reliqua.

d Theod. Epist. 22. IX. COLESTIANUS EX ETHIOPICO REDDITUS CHRISTIANUS.

X. DE MIRA DEI PROVIDENTIA IN CURANDA SALUTE HOMINVM.

Isai. 26.

XI.

Theod. Epist. 22. Theod. Epist. 24. Isid. Epist. 22. Isid. Epist. 26.

VII. CARTHAGINENSIS

VIII.

Theod. Epist. 22. EPITOLA THEODORETI DE CARTHAGINENSIVM MALIS.

Theod. Epist. 22. Theod. Epist. 24.



XLI.

Inter alios autem Africanos Episcopos eadem clade dispersos, fuit vnus nomine Cyprianus, qui delatus & ipse in Orientem, commendatus in idem Episcoporum litoris vitam, peragrando prouincias, traducebat: cui idem Theodoretus ad Ibam hoc tempore Episcopum Edessæ in Syria eiusmodi litteras dedit:

Common non omnium (vt credo) & salutem vniuersorum procurant Deo, calamitates aliquas nonnullis affert, vt is, qui in aliquo deliquerunt, ipsa correctio sit medicamentum salutare, virtutis vero athletæ patientiæ argumentum; & illis, qui hac inuentur & spectant, vite propinetur exemplum: cæ enim natura sumus, vt timore repleamur, dum alios pleiti videmus. Hac cum animo veluo, Libya mala & miseria, commodam publicum illos arbitror. Primum enim, dum illorum felicitatem cogito, & intusor repentinam mutationem, video rerum humanarum dabras conuersiones, & edolor, neq; felicitatibus tanquam certis confidere, neq; miseria, vt valde graues egre ferre: delictorum præterea memoriam reuoluo, & reuero, ne in equalia incidam mala. Hac autem ad rescribere nunc sum coactus, vt Deo dilectissimum Episcopum Cyprianum tua beatitudini notem redderem, qui ex celeberrima Libya genus ducit, & alienas vrbes obambulare coactus est propter barbaræ cum crudelitatem. Attilit etiam nobis litteras beatissimi Episcopi Eulali, qui Galatarum gentem sapienter regit. Hunc cum consuetæ humanitate tuâ benignitas susceperit, cum suis litteris illum consequatur, & imitat ad quos voluerit dominos: Deo dilectissimos Episcopos, vt ipse quidem sensibili sulciatur consolatione, ipsi vero reddat Deo celeste præmium & perpetuum. hæc ad Ibam Episcopum Edessenum Theodoretus, cuius extant & alia pro eodem date litteræ ad Sophonium Constantium Episcopum.

XIV.

Rursum vero eiusdem argumenti idem Theodoretus litteras dedit ad Eustachium Aegorum Antilitem pro nobilissimâ Africanâ puellâ a suis diuisa, & in seruâ vendita. Dignus planq; commiseratione casus ab ipsa ita descenbitur: Tragediâ dignum est, quod de nobilissima Maria dicitur: Hac enim est filia magnificentiissimi Endemonis, vt ipsa narrat, & alij quidam testantur. In calamitate vrbe, sua Libyam occupauit, suâ libertate fuit priuata, & in seruitutem lapsa est. Mercatores vero quidam, cum illam à barbaris emissent, quibusdam de nostris ciuibus vendiderunt: empta etiam cum ipsa fuit ancilla, qua illi eidem olim seruebat. Siquis igitur traheret amarum seruitutis ingram tuam ancilla, tum domina: noluit tamen ancilla non agnoscere quid inter ipsas interesset, nec prioris dominæ ei oblitâ, sed beneuolentiam in ipso infortunio conseruabat; & post communitum dominorum obsequium, illi, qua conserua putabatur, suum præstabat obsequium, pedes laudando, cubili sternendi curam gerendo, & omnia alia studiosè faciendo. Hoc emptores latere non potuit: quapropter in ciuitate diuulgata fuit huius ingenitas, & famula probita.

XV.

Hæc cum didicissent qui apud nos manent fidelissimi milites (ego enim: tunc aberam) emptoribus pretium reddiderunt, & hanc seruitute liberarunt. Ego vero post reditum hæc omnia edolui, & calamitatis historiam, & tragediam, & miltium omni laude dignum opus, illis quidem maiorâ reddidi, & nobilissimam adolescentulam postrema cuidam discipula Dei famula tradidi, stipendium sufficienti me præbiturum pollicens. Peractis vero decem mensibus, cum didicisset patrem adhuc superstitem esse, & præselluram obtinere in Occidente, ad illum se conserre merito exoptauit. Et cum quidam dixissent, quod ab Occidente plurimi mercatores veniunt ad diem festum, qui nunc apud vos agitur: perijt à me, vt eam litteris meis proficisceretur. Hæc igitur de causa hæc scripsi litteras, tuam pietatem omnixè deprecando, vt nobilis puella curam gerat, & præcipias alicui pietate prestanti viro, vt nauas & gubernatores alloquatur & mercatores, & fidelibus viris ipsam aradat, qui illam patri restituere possint. Si enim patri ipsam offerent præter omnem bonorum spem, quod plus hæc certe lucrabitur, recte noui. hæc enim Theodoretus ad Aegorum Episcopum, erat Aegæ ciuitas maritima in extrema Ciliciæ parte Syriæ proxima, portum habens, ad quem negotiatorum naues appellere soleant.

XVI.

Sed audi alterius captiuæ Carthaginensis in signe virtutis exemplum, quod Ado Treuentis Episcopus publicè in Ecclesijs anniuertaria die recitandum tabulis inscripsit Ecclesiasticis hæc verbis: Naxæ S. Italia, qua cum

Carthago ciuitas capta esset, ducta est captiua, & sortita in seruitutem denent cuiusdam Eulaly ex Syria Palaestina. Cui diligenter seruimus, expleto cum seruitio, acceptâq; requit, aut orationi, aut lectioni inflesbat: nam & corpus suum seruans assidebat. Vnde Dominum eius, quamuis Paganum, valde eam adorans sepi admonebat, ne taliter se assidebat. Sed illa nec blandimentis, nec etiam admonitionibus ab hoc, quod inchoabat, recedebat: excreto die Dominica resurrexerat. Deinde contigit, vt dominus ipsum vna cum ipsa veniret in Corsicam, & ibi, sacrificantibus alijs, caput & ipse Dñi immolare, infularum enim latibula Eihnici quæritabant, quos ob impietatem graui penâ (vt diximus) iedua haud pridem Imperatoris sanctio exagibat.

Sed beata Italia (subdit Ado) videns errorem illorum, condolebat. Audiens quidam Princeps Felix, Saxo cognomine, quod illa nillet sacrificare, quafuit eam à domino suo, vt recepit in illum vice quatuor annis, sibi ea daretur. Cui ille pro magno eius seruitio noluit eam tribuere. Tunc præfatus Felix: callide fecit domino suo conuiuium, quatenus ipse & nimia potatione soporato & ignorante, de nauis ipsam eam tolleret. Quod & factum est: nam ipse inscio, ducta est beata Italia ad Felcem. Cumq; blandimentis Felix ei non potuisset suadere, vt sacrificaret, præcipit eam alij scadi, deinde criminibus torqueri, atque flagellari, ad extremum etiam crucifigi: & sic in ipso patibulo vltimum efflavit spiritum: de cuius ore sanctissimæ columba exiit, & salum peticit.

Tunc per Angelos, diuina dispensante gratiâ, nunciatum est hoc quibusdam monachi in insula Margarita, que vulgò Gorgona dicitur, consistentibus. Vbi enim capta est à sanctis monachis habitari, ab illis nomen Gorgonæ, quod ab idola latia videretur acceptum, in Margaritæ nomen, ex Euan gelico deproptum, mutatum fuit, cum tamen ab ij cõfucto nomine Gorgonam eam frequentius appellarent. Sed perijt illi hoc auditio, ascensu nautium, summa cum festinatione venient in Corsicam, & muerunt sicut ab Angelis fuerat reuelatam. Dicit summa cum reuerentia deponentes corpus eius de cruce iuuante Domino, celeriter ad sua reuerti sunt: & ibi, delictæ in ipsa Margarita insula, condientes corpus eius cum armaribus, posuerunt in monumento cum gaudio. Pestis autem de ipsa insula Arica Regina vxor Duxilery Regis Longobardorum præcepit corpus eius efferri, & in monasterio, quod in honorem ipsius construxit, vixit mirificentiissime collocari. Luculique Ado vndecimo Kal. Iunij, quo die eius memoria publicè colitur. Ex his igitur recitatis Carthaginensium funestis casibus litteris commendatis, ceteros æstimare licet, quos scriptor inopia antiquitatis obliuione penitus sepeluit. Que autem reliqua sunt miseriarum Carthaginensium, suis locis inferius dicemus.

Hæc eodem anno Ioannes Episcopus Antiochenus diem extremum obiit, cum sedisset annos tredecim, licet Nicephorus in Chronico annos decem & octo illius sedi tribuat: verum cum anno præfenti extant litteræ Theodoretæ ad Nicephorem Dominum Episcopum Antiochenum scripte, haud ad illud tempus eius vitam esse propagatam, peripicue possumus intelligere. Porro ipsam Theodoretæ ad Dominum epistolam reddimus suo loco anno præfenti; & eam, qua monstratur annos tredecim tantum fuisse, ad Dioscorum datam suo item loco describemus. Mortuo autem Ioanne, in locum ipsius subrogatus est eius ex forore nepos Dominus monachus, sed deiecit monasterij, qpt (vt dictum est superius) degens in Laura Euthymij, ipso inuito Antiochia cum venire decreuisset, hoc eum Vaticinio Euthymij futura prædicens admonuit: Obtinens quidem administrationem, nempe sedis Antiochene Episcopatus, sed eam vnusquisq; tibi mali homines & præstigiatores, cum ab illis prius seductus fueris ignorantis. hæc quidem ipse, nec fallus extitit vates, vt euentus probauit, inferiusq; suo loco patebit. scribit hæc de Domino Cyprius monachus in Actis Euthymij. Quomodo vero factus Episcopus Simonem illum magnum cognomento Styliatæ conuenit, narrat Nicephorus istis verbis: Quo tempore Comes sacras Antiochene vrbs habens tenuit, cum ad Simonem venisset, totus conseruatus est, & cum eo mystico arcanog, congressu conuenire exoptauit. Conuenientiq; id eo ambo, & sacrificio immaculato atq; inuictis peracto, alter alteri mysticâ comunione

Extant apud So rom in 2. Tom. g. Nicoph. lib. 14. c. 31.

porre-



portent. hanc Nicephorus. Sed iam ad sequentis anni res gestas orationem paremus.

IESV CHRISTI  
Annus 441.

LEONIS PAP. THEODOSII 34. IMP. VALENTIN. 17.

I. QVI ordine temporum sequens est annus Domini quadringentesimus quadragiesimus primus, Cyri tatum Consulatum in Falis reperitur inscriptus, in Oriente creati. Cur autem ex more Imperator Occidentalis Imperium Consulem non elegerit, minime liquet. Ceterum hunc ipsum Cyrum esse scias, qui varijs diuersis que agnatus est casibus, ac tandem naufragus, non inuenit nisi in Christiana religione salutem. Ethnicus homo fuit, deorum superstitioni deditus, sed naturi dexterrimus in veraque militia Castrensium ac Palatina summus sibi magistratus quatenus, eosdem esse nullo negotio consecutus: etenim quo anno diximus captam Carthagine, Ducem exercitus ipsum gessisse, Eugenio auctore narrauimus; sequenti vero Praefecturam Praetorij consecutus, & Consulem designatum esse, Nouella Theodosij constitutiones declarant; rursum ante biennium Vibanam adeptum esse Praefecturam sub Consulatu Theodosij cum Felto, Imperatoria constitutio fidei facit: gessit eandem iterum sub tertio Aelii Consulatu, ut suo loco dicitur: praesenti vero anno auctus est ordinario Consulatu. Sed bono suo, magna Dei prouidentia, ad ima summis, alex rerum mundanarum inuersione, deiectus, vnicum inuenit in Christiana pietate confugium.

II. Ad hos autem omnes summos consequendos honores ex poetis facultatibus sibi parauit scalam, dum illis sese in amicitiam Eudociae Augustae infinnauit. Sed Suidam de ipso agentem audi, cum ait: Cyri Panoplia poeta sub Theodosio Iunioris vixit, apud quem Praefectus Praetorio, & Praesens Vrbi. Consul & Patricius, fuit in admiratione ab Eudocia Augusta habitus, quae poematum studio erat. quando igitur illa cum viro suo Imperium moderata est, aequae res Cyrii potuerunt: ipsa autem secundo Constantino poli recedente, atq; Hierosolymam commigrante, ceperunt Anichibus iactari, nam & Suidas subdit: Eudocia autem cum aulâ relicta, in Oriente Hierosolymam esset. Cyrius ab aduersarij insidij circumuentione, in Phrygia Coryca Episcopus factus est, & vsq; ad Leonis tempora perdurauit: hanc Suidas quomodo autem id accidit, dicendum erit suo loco inferius: hanc modò ipsius Cyri Consulatus hoc anno initi occasione narrata sufficiant.

III. Sub eodem Cyri Consulatu celebratum legitur in Gallijs Concilium Arausicanum, sed cum ponitur idem Cyrius collega Theodosij Iunioris, error scriptoris arguitur: nam quod ibi legitur, tempore Theodosij Iunioris & Cyri Consulatum, legendum est, Consula, loco Consulatum: nam Falis omnes & vetera monumenta non nisi vnicum hoc anno (ut dictum est) Consulem referunt. Quod ad Synodi locum pertinet, erat Arausica, vbi collecta fuit ciuitas in Gallia Narbonensi. Nobilis quidem ista dicenda Synodus, clarissimorum Antistitum illustrata coronâ, de quibus singulis proximè pauca dicturi sumus. Reperiantur in hac Synodo vndetriginta sancti canones ad Ecclesiasticam disciplinam atque iura spectantes ab Episcopis Galliarum Narbonensis & Lugdunensis, quindecim numero ex ijs Arausicam ciuitatem ex more conuenientibus. Florent quidem dictae Galliarum prouinciae, si quae alia Chritiani orbis orae, his temporibus, Episcopis aequae sanctissimis atque doctissimis, quorum solet vigilanti in suo permenebant robore leges Ecclesiasticae. Qui enim primo loco huic Synodo subscriptus habetur Hilarius, ipse ille est celebris Arelatenis Episcopus, qui antea haec presbyter

(vt superiori dictu est tomo) vna cum S. Prospero Aquitano Episcopo infectatus est Pelagianos, & aduersus Massilienses presbyteros atque alios impugnantes S. Augustini scripta strenue infutexit, de quo placitibus & inferius agendum erit.

IV. At qui secundo loco subscriptus nominatur Claudius Episcopus, nescitur, cuius fuerit ciuitatis Antistes: procul tamen abest, vt hic sedicendus, loco Claudij, Claudianus ille cognomento Mamerus clarus inter scriptores Ecclesiasticos: nam (vt suo loco inferius dicemus) non fuit ipse Episcopus Viennensis, sed potius eius Ecclesiae presbyter.

V. Rursum verò qui huic eidem Synodo interfuisse reperitur Eucherius, ipse est, qui famâ celebris vixit eodem tempore Episcopus Lugdunensis, cuius meminit Claudianus in libro de Statu animae, cum ait: Haudquaquam tamen Eucherium praeteritum miramur videntem doctrinâ, & praesentibus coram disputationibus cognitum, non porro nuncius aut lectione comperit: qui scilicet veridici erit, maturi animi, terrea despicens, caeli appetens, humilis spiritu, ardua marito, ac proinde ingenio subiugum, scientia plenus, eloquij proflans, magnorum sui saeculi Pontificum longe maxime, editis iurum sicut multivagus variorum operum volubundibus, ad populum quoque super statu animae concionatus est, &c. Sed hic, rogo, sile gradum, lector, & considera, quòd cum ipse Claudianus (vt vides) de Eucherio agens, eiret conciones ipsius ad populum habitas, quae non extant: in eam sententiam facile mecum ibis, vt eiusdem Eucherij sint homiliae illae, quae falso nomine inscribuntur Eusebij Emisensi, cum alioqui haud dicendum sciamus, illas omnes esse Eucherij, cum inueniantur aliquae esse Hilarij Arelatenis, Fausti vero Rhegiensis aliqua. Porro alias à Lugdunensis planè Ecclesiae concionatore eas esse dictas, Martyres Lugdunenses, de quibus agit, & plura demonstrant, necnon Eucherij ipsum dicendi genus: nam in persuadendo efficacem fuisse, Sidonius docet, dum singulorum ferme Patrum in scribendo proprietates notat in epistola ad Claudianum. Sed & id suadent argumenta personae accommodata: verò qui monasticam vitam exerceat, & Lugdunensem Ecclesiam rexit; & ad monachos ad populum eum esse concionatum oportuit, cuiusmodi duplis generis eadem homiliae esse noscuntur.

VI. Cum igitur ex concionibus habitis de martyribus Lugdunensibus, Lugdunensis Ecclesiae Antistitem se esse agnoscet, & homiliae ipse stylum probè demonstrat, & tempora, quibus auctor vixit, eundem annunciant: etenim in recens obortas haereses Nestorij & Eurychetis idem inuehitur: Cùm haec, inquam, totum vnum concitât Eucherium, quis de his dubitandi amplius locus reliquus est? Redditus ergo his, quae maximi esse noscuntur, seu aliorum (non hie de singulis nobis ager. Num) suis auctoribus, vindicentur egregiae donaciones ab iniusto & impio possessore Eusebio Emiseno, cuius nomine citari conseruerunt. Quid cum auctore Graeco homiliae, quae Latinae noscuntur esse conscripserit: Quid cum homine Ariano, quae omni ex parte pietatem redolent conciones: Quid deniq; auctor Gallicanus cum Syro, & Lugdunenses martyres cum Emiseno?

VII. Sed vnde adeò portentosum putandum prodisse commentum, & monstruosam adeò esse imposturam obortam? Potuit sane sefellisse librarium imprudentem, vt sub eius auctoris titulo reperit initium codicis obignatum, cetera omnia, quae in eo continerentur, eidem putaret esse tribuenda auctori, nemo enim est, qui ignoret, qui antiquorum codicum habet vsum, sepe saepius solere contingere, vt non vnum vel duos, sed & tres, quantum & amplius habeat idem volumen diuersorum auctorum tractatus, & aliquos ex illis inueniri sub nomine vnius auctoris excerptos: vt nisi quos oculos lynceos habeat, sepe accidat, vt in scripto auctori tribuatur, quicquid inferius eodem codice continetur. Cum alioqui & facile contigisse potuerit, vt in coroso consumptuoq; nimiam vetustate codice, litteris labe factatis, legeret librarius, Eusebius, pro

